



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Forum Competens Quæstionibus ex Universo Jure
selectis, atque ad praxin utilissimis illustratum, Seu
Tractatus Canonico-Civilis**

Friderich, Melchior

Ingolstadium, 1709

§. I. Forum Delegatum quid sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61662)

rem adijcitur, videlicet ut irriti sint omnes actus Jurisdictionis in partem invitam exercita. Quin ulterius dico contra Panorm. Felin. Dec. ac aliorum communem *in cit. C. Caterum de Rescript.* valere acta Judicis inferioris parti volenti jus dicentis, tametsi motu proprio & non ad instantiam partis emanarit rescriptum avocatorium etiam cum clausula irritante: dummodo constet, in gratiam partis emanasse. Manet enim etiam hic illa regula, quod quilibet favori pro se introducto possit renunciare, & quod Princeps non obrudat suos favores invitis, nec cogat jis uti, sed solum concedat. Quamdiu igitur pars, in cujus favorem rescriptum emanavit, & quæ scit illud emanasse, eo uti non desiderat, sed coram Judice inferiore litigat, tamdiu valent acta, quia non deficit jurisdictio, uti patet ex *cit. C. Audita de Restitut. Spoliat.*

C A P U T II.

De Foro Delegationis.

§. I.

Forum Delegatum quid sit.

SUMMARIUM.

462. *Discrimen inter Jurisdictionem Ordinariam & Mandatam explicatur.*
 463. *Traditur modus discernendi unam ab altera.*
 464. *In dubio præsumitur Jurisdictio esse Ordinaria.*
 465. *Forum Delegatum est, quando Jurisdictio Mandata exercetur.*

462. Non semper Judices Ordinarios Jurisdictionem in subditos per semetipsos exercere, sed alijs exercendam committere notum est. Qua ratione cum teneam comparere coram Judice, quem Jura non dederunt, sed quem fors extra ordinem obtulit, idcirco Forum hujusmodi est Extraordinarium, æquè ac illud, quod

quod ipse efficio, Judici non meo jurisdictionem in me prorogando. De hoc Foro antequam agamus, prælibari aliqua de Jurisdictione necesse est. Celebrerrimâ hæc distinctio dividitur in *Ordinariam & Mandatam*. Illam *Propriam* dicunt, hanc *Impropriam & Alienam*. Propria est, quæ eam habenti competit vel jure Magistratûs, quem gerit, vel auctoritate specialis Legis aut Constitutionis Principis. Sive: est Jurisdictio, quam quis ex munere suo ad hoc instituto & suo nomine exercet. *L. 1. prim. ff. de Offic. ejus, cui mandata est jurisdict. L. More §. & L. seq. ff. de Jurisdict.* Talem habent Imperator, Reges, aliique Principes in suo territorio, Episcopus, Capitulum Sede vacante, Legatus Apostolicus, Archidiaconus, Archipresbyter, Vicarius Generalis &c. *Aliena Jurisdictio est, quam quis ex mandato alterius, cui ea competit, vicariam præstando operam exercet*, ut ait Bocerus *Tract. de Jurisdict. c. 6. n. 3.* vel, ut definit Gregor. Tholosan. *L. 5. Partition. Jur. Canon. tit. 5.* est *Jurisdictio mandata, quam quis non suo, sed alterius nomine ac beneficio exercet*. Sed cum etiam Judices Ordinarij à Principe dati, nomine ac beneficio ipsius, vicariamque ei operam præstando ac ex ejusdem mandato jurisdictionem exercent; idcirco præplacet definitio, quam dat Molina *tr. 5. de Justit. disp. 14. n. 1.* *Est potestas, que non ex proprio munere, sed ex commissione mediata vel immediata alterius, qui id ex proprio munere habet, jurisdictionem exercere potest.* Desumitur ex *cit. L. 1. §. qui mandatum, & L. 3. ff. de Offic. ejus, cui mand. est jurisdict.* Dicitur *Potestas, que non ex proprio munere &c.* Quâ ratione distinguitur à Jurisdictione Propria & Ordinaria, utpote quæ ex proprio munere exercetur. Dicitur: *ex commissione mediata vel immediata.* Cum supremi Principis Delegatus, ut mox dicetur, subdelegare possit: quo casu subdelegatus jurisdictionem habet ex commissione solum mediata. Dicitur: *alterius, qui id habet ex proprio munere.* Quo modo distinguitur Delegatus ab Arbitro: hic enim ordinariè non accipit decidendi potestatem ab eo, qui jurisdictionem ex pro-

proprio munere habet, sed à partibus, quæ sibi illum in Judicem deligunt, non refragante Lege, sed annuente.

463. Ut verò alias definitiones, quas vel Theologi vel Jurista, vel Medici aut Philosophi, suis quique objectis adaptant, non est expeditum ad casus particulares applicare, indèque singulas species definitas eruere; ita pariter ex data Jurisdictionis Mandatæ definitione non illicò apparet, quænam in specie Jurisdictionis Ordinaria sit, aut Delegata. E. g. dubium adhuc restat, sitne Ordinaria Jurisdictio Administratoris Ecclesiæ alicui à SS. Pontifice dati, item Judicum Austregarum (de quibus suprâ n. 315.) an Delegata. Itaque ad eas in casibus specialibus discernendas, aliam quampiam regulam statuere placet cum Bartol. *in cit. l. 5. ff. de Jurisdict. n. 8.* Panormit. *in C. l. Relatum. de Offic. & potest. Judic. Deleg. n. 5.* Molina *cit. disp. 14. n. 3. & 4.* & Cardin. de Lugo *l. 1. Respons. Moral. dub. 46.* Illa est Jurisdictio Ordinaria, quam confert Lex, Consuetudo, aut Princeps, committendo negotiorum universitatem, & nullam clausulam apponendo, quâ moneat accipientem, ut non propriâ, sed Principis conferentis auctoritate procedat. Cujusmodi clausula foret: *Nostra auctoritate facias, Appellatione postpositâ procedas.* Cùm enim, ut ponitur, negotium tale sit, in quo alioqui appellatio ad Superiorem admittenda foret, signum est, quòd dum ea excluditur, non detur Jurisdictio Ordinaria, à qua cæteroquin licitum est appellare.

464. Si dubium est, an Lex vel Princeps voluerit conferre Jurisdictionem Ordinariam, an Delegatam, præsumitur contulisse Ordinariam ad universitatem causarum: quia censetur creare Officium & Magistratum, cui sit annexa talis Jurisdictio. Hinc quia inferiores Magistratus non possunt creare Officia & novos Magistratus publicos (nisi ex Principis vel Legis consensu, prout Episcopus constituit Vicarium, ut cum ipso idem tribunal & jurisdictionem habeat) conferunt Jurisdictionem solum Delegatam, quando cuiquam potestatem cognoscendi & iudicandi tribuunt.

B bb

465.

465. Ex dictis consequens est, quòd sicut Judex Ordinarius est, qui ex munere & officio proprio Jurisdictionem exercet; Delegatus verò, qui non ex officio proprio, sed ex commissione sibi facta & dato mandato: ita si forum accipiatur pro loco exercendarum litium, prout accipi diximus *n. 2.* Forum Delegationis sit tribunal vel locus, ubi Jurisdictio Delegata seu Mandata exercetur. Si verò Forum sumatur pro ipso Judicio juxta dicta *n. 3.* Forum Delegatum dicendum erit Judicium à Judice Delegato institutum. Si denique juxta dicta *cit. n. 3.* per Forum intelligatur ipsa Jurisdictio & judicandi potestas, eadem erit ejusdem definitio, quàm modò Jurisdictionem mandatam descripsimus.

§. II.

Jurisdictionem delegare quis possit.

SUMMARIUM.

466. Ordinarius Judex Jurisdictionem mandare potest, nisi à Rege vel Principe id ipsi specialiter sit vetitum.
467. Non tamen totum suum Officium absque consensu Superioris committere alteri.
468. Delegatus summi Principis subdelegare potest, tametsi ad unam tantum alteramve causam determinatam sit delegatus, & non ad universitatem.
469. Nisi sit electa personæ industria.
470. Ex eo solum, quòd Delegatus jussus est personaliter exequi negotium, non censetur electa personæ industria.
471. Subdelegatus non potest subdelegare.
472. Delegatus ab alio, quàm à Principe, subdelegare nequit.
473. Nisi sit delegatus Proconsulis, aut Legati à latere.
474. Aut delegatus ad universitatem causarum.
475. Jurisdictio ratione Dignitatis aut Officij delegata in genere, potest in certis casibus subdelegari.